

re voluerit. Fateor eum testimoniis S. Scripturæ & rationibus ex ea petitis agere. Mihi tamen, ut ingenuè dicam quod sentio, id quod vult, non persuadet, qua de re aliàs egi. Hæc autem istis literis inferere necessarium non judico. Quare enim Tibi his molestus esse pergerem? Quamquam & mihi quoque nunc temporis editioni operis mei quàm diligentissime impendendi ratio habenda est. Quæ de spatio vacuo & mutatione aëris per homullum Tuum vitro inclusum significata disputas, experientiæ testimoniis comprobata fidem inveniunt. Ego verò Tuum studium & erga me benevolentiam, ac in confirmanda Tua sententia diligentiam & candorem, non tantum boni & æqui consulo, sed & me Tibi eo nomine plurimum debere fateor, meaque of-

ficia & studia mutua Tibi defero. Licet autem prægrandis operis mei editio omne tempus meum sibi doposcat & à me exigat, quod à reliquis laboribus superest, tamen fieri potest ut paulum plus otii nactus mentem meam de his exponam. Sin minus: (revera enim colligendis & corrigendis quæ de argumento Cometico scripsi ad amicos, tum & perficiendis quæ in Historia Cometarum restant, vix sufficio) hæc epistola communicationem nostram claudet, Tibique de Tua industria & benevolentia debitas gratiasaget. Vale, Amplissime Domine, quam optimè & quam diutissimè, mihi autem constantem serva benevolentia vicem.

LUBIENIETZKI.

FINIS LIB. QUINTI.

LIBER SEXTUS,

DE

SYSTEMATE MUNDI

Nostri Planetario.

CAPUT I.

De MUNDO, quid sit, quidve in hoc Tractatu sub nomine
MUNDI contineatur.

In Infinito Immenso omnium rerum Continate, in quo nihil infra, nihil supra, nihil sursum, nihil deorsum, dextrorsum vel sinistrorsum; nullum centrum, nec medium neque finis, nullum remotum neque propinquum, nihil hic nihil ibi, &c. Mundum hunc consistere: consequenter (si non sint alii Mundi, quorum respectu hic Mundus locari potest) nullibi esse, dubium non est.

Quid verò MUNDUS communi Philosophorum sententia sit, quidve communiter nomine *Mundi* contineatur, dictum est in principio hujus tractatus *lib. i. cap. i.* Quamquam vulgus vocabulum *Mundi* saltem intelligat de Terraqueo hoc nostro globo; nonnunquam de parte, quando scilicet Americam vocant novum Mundum; nonnunquam etiam de hominibus, quia sunt principaliora animalia quæ superficiem Terræ inhabitant & dominantur præ reliquis.

Bb 3

Nos

Dr. Lubienietzki præ-
grande opus
de Cometis
editurus.